Ex Libris
Joannis Nepomoceni
Hamienskii
mp

IN VICTORIAM
De SCYTHIS & COSACIS relatam.
Ab
ILLUSTRISSIMO
&
EXCELLENTISSIMO
DOMINO
D. JOANNE
In Zołkwia & Złoczow
SOBIESKI.
Supremo Mareſchalco &
Duce Exercituum.
REGNI POLONIÆ.
Auctore UBERTINO CARRARA
è Societate JESU.
Profeſſore Rhetorices in Collegio Romano.
Annô Domini 1737.

POSNANIÆ.
Typis Clari Collegii Societatis JESU.

JLLUSTRISSIMO & EXCELLENTISSIMO
DOMINO, DOMINO

JOANNI SOBIESKI

VIctoriam Tibi olim caliginem inter & tenebras pulveris Martialis, contra Scytharum centum, Cosacorum viginti millia, felicissimè comparatam, in lucem protulimus: Excellentissime Princeps, ut nos etiam in partem Tuæ felicitatis, quodammodo evocati, Scythicæ cladis vestigia, quæ ipse non sinè gaudio fixa miraris in campo, saltem impressa typis exteri videremus. Tu pariter nostra cum leges, ignoscas, precor, si paginas illum afflare non sentis ardorem, quem Tuus in Campo vultus anhelabat. Id unum invenies me tantùm à laudando defecisse, quantùm ipse præstiteris præliando.

CARMEN.

O Fortuna! novo semper quæ perfida vultu
Non sinis immotum requiescere sedibûs orbē
Orbe tuo descende rotâ: Sinè lege vagari
Non datur ulteriùs, nec motus inter utrosq;
Fortunatarum rerum, pariterq; malarum
Sarmatiæ post hac versare volubile regnum
Jam tandem alatum clavîs fatalibûs axem
Fiximus: & certum dedimus vincendo tenorem.
Cùm Scytha barbaricos in nos converteret arcus
Divitiîs & mole potens: trepidâsse fatemur
Regna CASIMIRI, dederit solatia quamvis
Instabilis sub Athlante Polus, quem posse moveri
Credidimus, non posse rui; sed clade Getarum
Imperium superimpositum cum stare videmus,
Fecimus æternum & nunquam mutabile fatum.
Tu mihi SOBIESKI tanti certaminis author
Pande iter & comitem Tecum me tolle per arva
Sparsa cadaveribûs *Geticîs*; fas visere campum
Virtutis testem; nec quos jugulaveris ipse,
Te monstrante sciam: cernam quos occupat ingens
Funus; & à grandi dignoscam vulnere dextram.
Quodsi Te circum pictis fremit undiq; in armis
Clara manus Juvenum, pictis spectabor in armis
Ipse simul, tractabo faces & Apollinis arcum,

 Et Va-

Et Vates & miles ero; Sic ſentiet hoſtis
Ultima Mavortis poſt vulnera; vulnera Phœbi.
Ut fera Sarmatiæ, placidam Moſchovia dextram
Obtulit; & poſitis ſiluerunt claſſica bellis,
Aere catenatur Mavors; ſic alma jubebat
Religio; trahiturq; rigens ubi ſidera pulſat
Caucaſus, hic nuda religatus rupe Prometheûs,
Ultorem adversùs Phæbum pandebat hiantes
Fibrarum caveas, ſpatioſaq; pectoris antra
Morſibus impaſtæ volucris; vorat ipſa medullas,
Aeternumq; bibit roſtro ſitiente cruorem,
Quem ſimul attonitâ ſpeculantem mente futuram
Pænarum ſeriem, Dea conſpicit, ocyùs inquit
Hic famuli religate virum; ſcopuloq; vacanti
Succedat Mavors; fuerit, quod fabula jactat;
Grande nefas, vetitum Solis tetigiſſe cubile;
Danda tamen ſceleri venia eſt, ſpecioſaq; furti
Cauſa reum abſolvit, neque enim, niſi amore virorū
Auſus adire domos ignis, & ſumere vitam
Vitali de Patre, hominum ſi ſemper ad uſum
Noctes atq; dies volvunt Titana labores;
Cogitur & major mundus ſervire minori;
Partem homini tribuiſſe ſui cur diſplicet? iſte
Tranſeat in Martem ſcopulus, qui detulit orbi
Accenſas Acheronte faces, territq; nocentes
Diviſit cineres; & nunc de cæde Polonâ
Ebrius, ecce tulit madidantes ſangvine rictus,
Ipſaq; jam ſaturâ lambit faſtidia lingvâ.
Ergo ſcelus luat ad rupem; ſtet deſuper ales
Excubitor, roſtroq; fibras populante pererrans
Immortale trahat pectus; ne ve aſpera rumpat
Vincla, vel effugio pateat dolus, igne Prometheûs
Excubet, & pænam, fuerat qui pæna, miniſtret.
Dixerat: adſtantes famuli mandata capeſſunt:
Corripiunt Martem renuentem, & vana minantem
Imperio cogente Deæ; ſic inclytus olim
Amphitrioniades, poſt bella exacta Gigantum

Et na-

Et nemorum exuvias, cum jam turgescere nullis
Fœtibûs auderent Matres, trepidare Leæna
Alcidis clavam, medio nova bella, novasq;
Quæsivit Phlegetonte feras, & limine fracto
Inferni Jovis, umbrarum spectante tyranno;
Eripuit custodem Erebo, tractumq; catenis
Spectandum latè populis præbebat Achivis.
Cernimus affixum glaciali in rupe Gradivum,
Terribiles ne quidquam oculos, frustraq; moventem
Brachia, terribiles humeros, & vincula vastos
Circumplexa toros, ipsum cervice superbâ
Insultantem Astris; superosq; in bella vocantem.
Sed pedibus latrare hyemes; raucosq; videmus
Cum sonitu in præceps descendere montibûs amnes;
Stare ruinosas cautes, pendentia terga
Sylvarum, & curvos apices librare timorem.
Aeacus hæc unquam, aut Minos si regna viderent,
Mutarent tormenta reis; Acheronte relicto.
Monte sub hoc Theseu gemeres, penderet ab istis
Ixion scopulis, hæc Sisiphe saxa rotares.
Non tamen his furor, aut odium implacabile Martis
Mitescit pœnis sed opaco cinctus ubiquè
Agmine nymborum; velut ardens nube sagitta
Aestuat, impatiensq; huc ora revolvit, & illuc;
Dentibûs infrendens; morsu nunc tentat inani
Vellere nec quidquam nodos, nunc frangere dorsô
Turritam silicem, sed nullis illa movetur
Viribûs, it membris calidus liquor; inq; tenaces
Oris anhelantis descendit spuma catenas.
Ergo ubi vana videt conamina, voce tremendâ
Exululat; quis tela mihi? quis sustulit arcum?
In quod supplicium durum, ac miserabile vitæ
Transcribor Deum? O furiæ quascunq; sinistro
Nox peperit partu, conceptu fata nefando
Cernitis hæc, nec fertis opem? quæcunq, rotatis
Arma manu, mea sunt: mea nunc mihi reddite tela,
Ferte faces, gladios, nostrosq; abrumpite nexus.
Quid

Quid loquor infelix? videt hæc, ridetq; Polonus
Sed faciam doleat, pugnabo, & me quoq; vinctum
Sentiet ultorem. Dixit: nec plura locutus,
Faucibûs exhalat rabidis (mirabile dictu)
Pestiferam tabem, quâ protinus aura calescit,
Inspiratq; novos insani Martis amores.
Sic ubi, demissis sensit captiva teneri,
Getarum torpedo dolis, non territa cædit,
Morsibus aut ullis; hamo luctatur edaci;
Sed glaciale vomens atro de pectore virus,
Cogit arundineîs mortem discurrere nodîs;
Inde sui victrix; jam de victore trophæum
Pensile sustollit; dum piscatoris habenam
Concretamq; gelu suspendit in àëre dextram.
  Caucasus infectîs sylvîs clamavit ad arma
Primus, ad arma gravis liquefactæ ardore veneni,
Clamavêre nives, tunc clausæ vallibûs imîs
Fama est; cum Dryades, & Oreades ætheris haustum
Attraherent, cecidisse sinu, manibusq; coronas
Ac Ciconum de more ululantes crine soluto
Pampineô molles dextras armâsse flagellô;
Quin etiam scopulo pendens, silenus ab alto
Dum sedet, atq; pecus gracili solatur avenâ,
Aura per occultos sensim demissa meatus,
Intonuit, carmenq; dedit, ceu bella vocarent
Audito clangore tubæ; stupet ante magister
Et procul à sonitu timidæ fugêre capellæ.
  Latiùs afflatu diffunditur aura maligno,
Et jam, jamq; magis Scythiæ per viscera serpit,
Nativum excutitur frigus, populosq; nivales
Ardor habet, præcepsq; furor: capit arma juventus
Inscia, quis capere arma manu, jubeatq; Polonis
Irasci. Sic uno omnes torrente coacti
Quò rapiuntur, eunt. Pietas jus fasq; bonumq;
Barbaricas inter sunt, barbara nomina, Gentes.
In gladio jus omne colunt, & judice ferrô
Causa peroratur: nec tam spectatur honestum

Quam

Quàm placitũ, ſolumq́; placet, quod pugnat honeſtos:
Quæ pietas ſperanda, ubi cæſa cadavera Patrum
Exhilarant menſas, & ſangvis ſpumat in auro?
Sed tamen infuſum violentiùs ebibit ignem
Soltangalga, Scytharum heros, ſpretorq́; Poloni
Nominis, & ſuperûm, ferus, intractabilis, excors,
Vaſtus, terribilis, quem ſi rediviva juventus
Spectaret Phlegræ, rurſum nova bella pararet.
Deq́; ruinoſis; & adhuc fumantibus Oſſæ
Relliquiis renovans auſus; aptaret aduſtas
Arcibus æthereis ſcalas; procederet iſte
Magnanimi comes Enceladi; & capita ardua tollens
Aſtra ſuper: Primus limen calcaret Olympi:
Ergo ubi concepit furias, ſinè more per urbem
Bacchatur, quali matrem execratus Oreſtes
Cùm trepidat, pœnamq́; luit formidine pœnæ.
Militis armandi locus eſt, ubi protinus acres
Bella canunt litui, pendentibûs aula ſuperbit
Exuviis, veſtitq́; truces Bellona Penates.
Huc Scytha (quandoquidem ſtimulos agit ira feroces)
Turbidus ingreditur. Gaudet ſpectare jacentes
Per terram pharetras, greſſuſq́; inferre ſuperbos
Pila ſuper, clypeoſq́; & nigros pulvere currus.
Et modò præ manibus ferrata volumina verſans
Ponderat immanes galeas, modò fuſus acervis
Incubat armorum, cumuliſq́; ingentibus haſtas
Extrahit; & ferrô ſe ſe metitur in omni,
Miratur fractos clypeos, affixaq́; truncis
Ora virûm: plerumq́; furor medicina furori eſt.
Et vitium ſpeculô, ſi ſe cognoverit, odit.
Hic viſâ feritate furit, ſcenaq́; cruoris
Paſcitur, ut ſitiat magìs, ardeſcatq́; videndo.
Tum caput adſtringit galeâ, thorace lacertos
Induit, & manibûs validam circumrotat haſtam.
Idem omnes ſimul ardor agit, ſpoliantur ahenâ
Merce Lares, tecto eruitur damnoſa ſupellex.
Quos ubi jam plenos animis, & robore vidit
Com

Consiliô flectens rabidæ molimina mentis
Talibûs aggreditur Ductor: Nunc ite feroces,
Ite mei cives, totumq; invadite mundum:
Fulminis excipiat nostri vicina favillas
Sarmatia, exactîs quæ dudum saucia bellîs
Si nondum cecidit, primo est casura sub ictu.
Innumeri venient unâ de clade triumphi.
Incipiat florere semel Mavortia Laurus,
Arbor erit, latèq; suos diffusa racemos
Umbrabit totum foliîs victricibûs orbem.
Sarmata vincatur, devicta Polonia, portas
Pandet ad Italiam; fas illic figere sedes
Purus ubi Titan; & mollior aura relaxat
Mansvetum cultore solum, semperne procellîs
Vivendum? mundiq; habitanda silentia nobis
Damnati voces Aquilonum audire, coacti
Cum nymbis, glacie, hospitium commune tenere,
Quid plura? irrequieta quies nos urget, euntes
Hac illac vectare domos, sic more volucrum
Vivitur errando, tectumq; volatile mundum
Metitur cælumq; suum sua Patria nescit.
Id tamen, aut odio naturæ, aut sortis iniquæ
Vertatur, culpam ferrô emendare licebit,
Ingratamq; alias fatorum vertere legem.
Dixerat: exarsêre omnes; atq; agmine facto
Protinus erumpunt portîs; sic præscia corda
Agricolæ horrescunt, cum cardine fusus eodem
Nymbus agit Borealem hyemem, gremiôq; sonanti
Sylvarum interitus, & clausa tonitrua portat.
Sarmatiæ Dux interea venientia longè
Nubila prospiciens, tempestatemq; ruentem,
Quid faciet? contra feret agmina? milite tanto
Ipse sed inferior, non prælia, funus adibit.
Ergo ratus bellum, gravius bellare morando,
Arces præsidiô firmat, mox robur, & omnem
Militiæ florem Cameneci mænibus, addit,
Hostem terribilem operiens, venit ille; sed ignis

Ceu vorat, oppositum si nihil invenerit, ignem,
Atq; rogô perit ipse suô; sic effera corda
Flexit surda quies, & vim pax longa peredit.
Tum verò incautum contra, & nil tale verentem
Infert bellipotens minitantia signa Polonus.
Hic WISNIOWIECKI ducentem in prælia turmas
Cernere erat, Scythiæ fulmen magnoq; timendum
Nomine, quem juxta vadunt non impare gressu
SILNICKI, & PIWO; formidatusq; Cosacis
Ense POLANOWSKI, quorum dum tela rotabit
Dextra, stet medius quantumvis caucasus horrens
Pro Clypeo, excussos nusquam frustrabitur ictus.
Nunc age, quas acies campô Sultanus aperto,
Explicuit, quibus obstiterit fortissimus armis
SOBIESCUS, quâ vî tandem dejecerit hostem
Dic Erato; bellum metuant quicunq; lacessunt.
Est procul à bello, bellum spectare, voluptas
Ille quidem prope Sarmaticas rutilare phalanges
Ut vidit, votisq; petitam ingentibûs horam
Adventare, jubet numerosas æquore turmas
Distendi, & totos operiri milite campos.
Quisq; suis hæret spatiis, ac limite in uno
Funeris & vitæ pariter confinia calcat.
Ipse altô Sultanus equô velut arce supremâ
Spectator Xerxes, vastas miratur arenas
Agminibûs fluitare suîs; peditumq; equitumq;
Stare globos, promptos nutum si moverit ore
In tenebras mutare diem, Phæboq; ruenti
Accelerare novum telorum in nocte sepulchrum.
Parte aliâ noster fulgentibus ibat in armis
Ductor, & erecta se se cervice ferebat.
Et quamvis nunc flore Ducum, nunc ille pedestri
Mixtus eat populo; multis à millibus unum
Separat egregio radians in Principe vultus.
Ipse comam grato respersus pulvere campi
Militat exemplô, primus discrimina prima
Sponte subit, nihil ipse sui, solumq; suorum.

Arma-

Armorumq; memor, ſtat lætus & agmine ab alto,
Magnanima cupidas hortatur voce Phalanges.
Lumina Sarmatiæ, quorum quid Marte valeret
Dextera; ſpectatum toties me judice, virtus,
Nunc eadem vocat, & Patriæ fatale periclum.
Ibitis in viles animas, quæ more ferarum,
Non opus eſt ferrô, vocis clamore fugantur,
Sint licèt & numero ſimul, & ſine nomine gentes;
Nil valet alituum populus; ſi plebe volucrum
Congrediatur atrox Aquila; ut diſperdat inertem
Paſtorum pecudumq; gregem; Leo ſufficit unus.
Plura locuturum fragor increpat; æra repente
Æra dedêre ſonos; tunc omni ex parte ſolutæ
Incubuêre acies, peditumq, Equitumq; manipli
Quadrupedumq; ruunt, denſatîs viribûs omnes.
Urgentur, ſubeunt, perimuntq; caduntq; viciſſim.
Aeternus foret ille dies, pariterq; ſupremus,
Adventu nox atra ſuo ſed bella diremit,
Et ſatur ipſe ſatis Phæbus feritate diei
Merſit in Oceano ſtillantes ſangvine currus.
Religio interea ventîs ad fræna vocatîs,
Aethera tranabat curru, ſtellaſq, premebat.
Talis erat, quæ tunc etiam ſub nocte ſerenâ,
Luna renidebat tremulîs argentea bigîs,
Quam ſimul armorum pepulit fragor, acta repreſſit
Lora manu, vertenſq, oculos, circumſpicit omnem,
Sarmatiam, latè pharetrîs horrere Getarum,
Nec cauſæ latuêre mali; pernicior ergo
Urget equos per ſaxa olim damnata Promethêo,
Ecce propinquabat Scythiæ: cùm fervere virgo
Senſit hyperboreas glacies, flagrare Trionum
Frigora, & ad tactum ventorum igneſcere pennas,
Tunc primùm turbantur equi, ſpumâq, calenti
Immaduêre jubæ; repetitis nubila pulſant
Calcibûs; immiſſum redduntq; è naribus ignem.
Ipſa pavet, pariterq; ſibi repſiſſet in artus
Pernicies morbi, adversùs contagia terræ

Ni

Ni quoq; cælicolis pareret sua balsama, cælum
Ergo ubi summa tenet montis juga, repperit atris
Exhalantem æstus putrefacto ex ore Gradivum,
Tum verò exarsit visu, virgaq; sonanti
Quâ moderatur equos, montem quatit, icta repentè
Viscera contremuêre soli, montana patescunt
Atria, & obtutus manes descendit ad imos.
Nec mora, procurrit scopulô, mox effera, quantùm
Forma sinit, Martem magna vi corripit & jam
Fatum triste sibi, casumve instare timentem
Prensantemq; trabes, genibusq; hærere parantem
Dejicit in præceps, atq; ora patentia montis
Monte tegit superimposito, cauditq; sepulchrum,
Ille diu pendens anfractibus, atq; rotatus
E scopulo in scopulum, tandem velut eruta pinus,
Procubuit, terramq; ruens, rabido ore momordit,
At non tardatus casu, neq; territus atrâ
Surgit humo,& vacuum furibundus obambulat antrũ
Exululans, manibûsq; nemus prætentat opacum
Si pateant aditus, sed rimula nulla nitorem
Admittit, præbentq; sibi sua lumia flammas.
Sic olim Enceladum vastâ se mole ferente
Jupiter edomitum telô, sub monte revinxit,
Victimaq; ultori ne tanto æterna deesset,
Ipse suâ cervice rogum sustentat adustâ,
Paulatimq; Gigas Aetnâ crepitante litatur.
Tũ Dea præ manibus tædã capit alma Promethêi,
Admotâq; labris meliores evocat ignes,
Ore trahens cælestem auram, flagrat illa, suoq;
Protinus arctoam recreavit frigore brumam
Præstò aderat currus, quô cùm Regina resedit
Ceu rutilans aurora movet per nubila currum.
Quaq; viam scindit quadrupes, vel spicula lucis
Tæda vomit, tabes jaculata repente recedit
Aspectu Jovis, & stygios desudat ad amnes.
Mox face Sarmatiâ vigilans accendit eâdem
Pugnaces animos & sufficit ignibus ignes.

SOBIE-

SOBIESCUM petit ante alios, qui nocte sub ipsâ
Fortè reclinabat clypeô caput: Igneus illi
Descendit vigor, & calefacta per ossa cucurrit.
Protinus in somnis solus sibi millia contra
Ire videbatur, manibûsq; errantibûs hastam
Vestigans, circum cæco perterruit ictu
Larvatos equites, & spectra sonantia ferrô.
Hæc inter, somnô excutitur, stratisq; relictis
Poscit equos, bellumq; novat, stetit omnis in armis
Campus, & impatiens voti, spe devorat hostem,
Aeternam increpitans noctem, nimiumq; morantem
Desertorem orbis thalamô segnescere solem.
Ecce dies tandem, certatim aurora tubarum
Voce salutatur, tam latè ignescere tellus
Incipit, assurgunt hastæ, vexillaq; primis
Horrescunt, Zephiris, matutinæq; pruinæ
Irrorant galeas, tepidis nitor errat in armis.
At piger è stratis surgit Scytha, tardior illum
Gressus habet, fortisq; velut præsaga futuræ
Dextera vaginæ quoties accommodat ensem
Illa cadit, capuloq; riget manus ægra trementi.
Non etenim Mavors animos dabat ampliùs ullos
Rupe sepulchrali clausus, caluêre Poloni
Marte statim meliore Duces, bellacia corda
Acriùs inflammante Deâ, tunc impete toto
Itur in imbelles jugulos via rumpitur armis
Nec mora nec requies, hastâ gladioq; manuq;
Semineces, vivos, punctim, cæsimq; trucidant
Nil profunt sua plaustra Scythis, ruit ecce Polonus
A tergo, ascensuq; petens, carpenta revolvit,
In præceps Dominos, ipsum temone videres
Purpureum mox aurigam, glomerare feroces
Sangvineum per iter, supraq; cadavera currus.
Ast ubi laxati cunei, nec jam ampliùs ore
Res humeris agitur, tunc omnes ordine nullo
Ire catervatim, sparsim, seseq; premendo
Agmina festinant, festinandoq; retardant

Ossibus

Ossibus hic fractis mutilo cum corpore campo
Reptabat, partemq; sui post terga trahebat.
Ille metu pernix supra gladios pharetrasq;
It vitamq, cruentis saltibus eripit hosti,
Sed tamen ora retro gressu convertit in omni
Sarmaticam dorso ratus adventare sarissam
At campô, dum terga Scythæ vertêre relictâ,
Ecce ruit portîs victoribus obvia pubes,
Incedunt mistæ pueris longo ordine Matres
Et crotalîs festoq, Ducem clamore salutant.
Inde avidè spectare locos, ubi noster ovarit
Miles, & edomitus tentoria fixerit hostis
Procurrunt campo, gaudet pars noscere visus
Pars tractare neces, & adhuc spirantibûs extis
Vestigare animæ penetrale infame latentis.
Quin etiam pueri materna exempla secuti
Reptant scuta super, tenerîs mox ungvibûs audent
Effodere extinctos oculos, divellere membris
Spicula, & adstanti munus præbere Parenti.
Si quos inveniunt nostra de gente jacere,
Aut super incumbunt cæsorum corporum acervos
Aut licet hac, illac, spangantur brachia, ferri
Hæret trunca manus capulo, scintillat in ore
Ira superstes adhuc, & lumina clausa minantur.
Quis vobis Scythicæ Matres? tunc sensus & amens
Ira fuit? cùm fama mali prænuntia tanti
Narraret dulces natos, & vestra virorum
Corpora, Sarmatica penitus cecidisse sub hastâ?
Tunc illæ in tergum versîs de more capillîs,
Præcipites cum fletu, & funereo ululatu
Ascendere rotas, suisq, nivalibus errant
Bacchanturq, simul, radicibus antra revellunt
Ferales structura pyras, mox igne sub ipso
Exequiale canunt confuso murmure carmen.
Nec non uxores aliâ de parte Cosaccæ
Respondent longè lacrymis, æquantq, dolores,
Ostenduntq, rogos similes, sic unica clades
Con

Consociat luctum, & populorum fata duorum.
Sed vos Sarmatiæ Proceres, quibus una paravit
Aeternum fortuna decus, si fortè supersunt
Barbarici cineres, nec adhuc scintilla resedit
Agminis incensi, nunc ô nunc Vestra subactum
Per Tanaim Bellona natet, sparsisq; favillis
Armorumq; virûmq; gravis vomat alveus undam,
Relliquiæ pereant scelerum, nomenq; Scytharum
Abradatur humô, spero hæc, votiq; peracti
Quàm primùm Aonium veniet mihi fama sub antrum.

Ad M. D. G.